

*excessus haëtenus memoratos, in alterum extremum dilapsi sunt, videlicet nimium auferentes ex bonis Ecclesiasticis, & nimis parum relinquentes sustentationi ministrorum Ecclesiae.*

§. III. Quod sobrium hac in re THOMASII iudicium non suo fundamento destitui, probat (I.) manifestissimus alienationis rerum sacrarum sive Secularisationis abusus, sine Theologorum consiliis factus & perpetratus. Scribit JO. GERHARDVS in *Epistola ex MSto ab Celeb. Autoribus Innocent. Relation. 1707. p. 552.* nobis communicata: *Principes Evangelici in bonis Ecclesiasticis occupandis Theologorum consiliis non usi sunt. Multa erant bona ecclesiastica in Papatu superflua, quae tamen accedente Evangelii illuminatione, non ad satiandam & explendam divitiarum cupiditatem, sed creandam in Ecclesia & Republica utilitatem secundum Reformatorem sententiam spectabant.* (II.) Ipsius LVTHERI querimoniae hac de re saepissime institutae. *T. II. Epistol. p. 292.* eleganter hujus mali fontem & originem perquirat: *Nil mirum, si Principes in Evangelio sua quaerant, & raptores novi raptoribus veteribus insipientur, Lux orta est, qua videmus, quid sit mundus, nempe Regnum Satanae. Sic & Paulus queritur, illos omnes quaerere, quae sua sunt. Saepius autem dicere solitus est: Es wird wohl bleiben, daß die rechten frommen Prediger müssen der Welt halber nach Brodt geben. Einen rechten Prediger oder zweene können wir nicht ernähren, aber 100000. Mönche und Pfaffen können wir wohl füllen, die uns zum Teufel führen.*

§. IV. (III) Innocentia Aug. Confess. ejusdemque Apologiae, quippe quae nequaquam eis favet, qui pias causas in proprios usus nefarie transferendas non dubitant, abusum saltem Clericorum circa illas minime tolerandum reprehendit. Seculo enim octavo vergente, & insequenti Carolingorum aevo, nec minus deinceps maximus abusus circa bona Ecclesiastica, aliasque pias causas increvit, qui usque ad Lutheri tempora altas radices egerat. De qua im-